126

Sigismundus primus rex Poloniæ, Ferdinando Romanorum Hungariæ et Bohemiæ regi.

Serenissime princeps etc. Mittimus isthuc per præsentem aulicum et nuntium nostrum ad maiestatem vestram serenissimam, adolescentem nobilem filium magnifici Martini castellani Vielunensis consiliarii nostri sincere nobis dilecti, quem maiestati vestræ serenissimæ commendamus, et ab illa postulamus, ut illum in numerum servitorum et cubiculariorum suorum nostra causa recipere, et gratia sua complecti velit, ut et consiliarius prædictus, et filius eius, cognoscant intercessionem nostram apud maiestatem vestram non vulgarem fore. Nos vero vicissim pari officio maiestati vestræ in similibus respondere et satisfacere per omnem occasionem curabimus. Commendamus nos amori et benevolentiæ fraternæ maiestatis vestræ serenissimæ, cui precamur omne bonum, et optamus ex animo ut sit recte sana et semper felicissima. Datum Cracoviæ die prima Junij anno Domini 1532.